



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

Distinctio Quarta. De Sanctissimo Evcharistiæ Sacramento.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

sed etiam tale Sacramentum secundâ vice collatum, prorsus nullum fit, ac irritum. Pater hoc ex Concilio Trident. *Seff. 7. Qu. 4. per totum.* (e) *Dist. 2. can. 9. & dictum est superius.*

53. CONCL. X. Nihilominus Sacramentum Confirmationis temerè reiterans, non fit irregularis. Ita Scotus *4. dist. 7. non fit irregularis.* *quæst. 5. & communior aliorum.* Ratio est: quia nullibi in Jure reperitur expressâ talis Irregularitas: atqui Irregularitas non incurritur, nisi in casibus à Jure expressis, ut habetur *cap. Is qui, de Sententia excommunication. in 6.* Nec obstat, quòd scienter reiterans Baptismum fiat irregularis. Resp. enim, disparitatem esse: quia hæc Irregularitas est Jure expressa, non verò illa: & alioquin ob similitudinem rationis poenæ non facile sunt extendendæ. (f)

54. CONCL. XI. In Sacramento Confirmationis debet intervenire Patrinus, qui teneat confirmandum. Ita perpetua praxis Ecclesiæ; & constat tum ex *c. Pervenit. 30. q. 1. tum ex Concilio Trid. Seff. 24. de Ref. Matr. c. 2.* ubi additur, quòd in posterum *cognatio spiritualis, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.*

55. Sciendum insuper, quòd non debeat idem esse Patrinus in Confirmatione, qui fuerat in Baptismo: idque propter consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, nisi cogat necessitas; prout habetur *c. In Catechismo. de consec. dist. 4.*

(f) Vide *Tr. 13. Dist. 3. n. 10.*

In Confirmatione debet intervenire Patrinus.

Et alius à Patrinus in Baptismo.

# DISTINCTIO IV.

## De Sanctissimo Evcharistiæ Sacramento,

### QUÆSTIO I.

#### De Natura, Institutione, ac Unitate Sacramenti Evcharistiæ.

1. **E**vcharistia à Græcis derivatur, & latinè significat idem, ac *Bona gratia*, item *Gratiarum actio*. Et idcirco præfens SS. Sacramentum non immeritò dicitur *Evcharistia*, eò quòd *Evcharistia* vi nominis, quid? sic

fit Signum sensibile Christi Domini, qui est Fons & origo totius gratiæ, sub ipso realiter contenti. De quo proinde loquendo, ad perennem Christi JESU laudem, atque in debitam institutionis hujus Saluberrimi Sacramenti Gratiarum actionem, fit

*Evcharistia  
Sacramen-  
tum, quid?*

2. CONCL. I. *Evcharistia* est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis & vini post Consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione Divina veraciter significans, Corpus Christi & Sanguinem sub eis realiter contineri. Ita Doctor Subtilis 4. dist. 8. quest. 1. Cujus definitionis bonitas ex eo patet: quia naturam hujus Sanctissimi Sacramenti clarè explicat. Vel, si placet, brevius: *Evcharistia* est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus panis & vini consecratis.

*Quando in-  
stitutum à  
Christo?  
Est excel-  
lentissimū,*

3. CONCL. II. *Evcharistiæ* Sacramentum est institutum à Christo Domino in ultima Coena. Ita communis; & apertè habetur *Matth. cap. 26. Marci 14. Lucae 22. & 1. Corinth. 11.*

4. CONCL. III. *Evcharistiæ* Sacramentum inter omnia excellentissimum est, atque augustissimum. Patet hoc ex eo: quia realiter sub se continet Christum Dominum, verum Deum ac hominem, omnisque gratiæ Fontem atque originem. Hinc non immeritò Doctor Angelicus, *Opuscul. 57.* illud appellat *Miraculorum à Christo patrarorum maximum.* Alia encomia de hoc Sanctissimo, & nunquam satis dignè laudando Sacramento, habentur passim in Libris Asceticis.

*Evcharistia  
est simplici-  
ter unum  
Sacramen-  
tum.*

5. CONCL. IV. Non obstante, quòd in Venerabili Sacramento *Evcharistiæ* sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta, totus Christus contineatur, ut Fides docet: adhuc tamen *Evcharistia* simpliciter, & absolutè, dicenda est unum Sacramentum; non quidem unitate indivisibilitatis seu simplicitatis, sed unum unitate integritatis atque perfectionis. Ita Doctor Subtilis 4. dist. 8. q. 1. cum omnibus suis, & absolutè, possent dici esse octo novæ Legis Sacramenta; quòd est falsum, & erroneum in Fide, ac contra definitionem Concilij Trident. *Sess. 7. can. 1. (a)*

*(a) Ut di-  
ctum su-  
pra Dist. 1.  
num. 8.*

*Est unū u-  
nitatē inte-  
gritatis, non  
indivisibili-  
tatis.*

6. Quòd autem hoc Sacramentum sit duntaxat unum unitate integritatis, non autem unitate indivisibilitatis, patet ex eo: quia hoc Sacramentum habet duas partes, ex quibus integratur, videlicet species panis, & species vini cum proprijs signatis, ni-  
mirum

mirum Corpore & Sanguine Christi; ergo jam non est unum unitate indivisibilitatis (cum possit dividi in duas partes) sed tantum unum unitate integritatis, quatenus ambæ partes integrant & perficiunt unum totale Sacramentum Eucharistia. Accedit optima hujus congruentia: quia Sacramentum Eucharistia est à Christo institutum per modum spiritualis Convivij, ad significandam completam nutritionem spiritualem animæ: convivium autem non nisi ex duobus, cibo videlicet & potu, unam totalem refectioem constituentibus perficitur, nec tamen idcirco duplex convivium appellatur.

7. CONCL. V. Nihilominus Eucharistia non est unum, idemque numero Sacramentum in toto terrarum orbe, sed multiplicatur numero juxta multiplicationem ac pluralitatem numeram specierum consecratarum. Ita Mastrius 4. disp. 3. n. 63. & seqq. ac Scotista passim, contra nonnullos alios. Ratio est: quia Sacramentum Eucharistia non est solum Corpus & Sanguis Christi (quod utique est unum, idemque numero) sed ipsæ species consecratae, quatenus sunt signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi realiter sub ipsis contenti, sunt Sacramentum Eucharistia: atqui species panis, & vini consecratae, multiplicantur numero; ergo etiam numero multiplicatur ipsum Sacramentum Eucharistia, utpote in dictis speciebus consecratis consistens. Verum de hoc plura in Theologia Speculativa.

Multiplicatur numero juxta multiplicationem specierum consecratarum.

## QUÆSTIO II.

De Materia Sacramenti Eucharistia; ubi præcipue de Pane.

8. **A**dvertendum quòd communiter Materia Sacramenti Eucharistia dicatur esse panis triticus, ac vinum de vite; Forma autem ipsius dicatur esse verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum, prout loquitur Concilium Florentinum in Decreto Unionis. Nihilominus hic loquendi modus nonnullam patitur instantiam, ac proinde est in recto sensu intelligendus: cum enim Sanctissimum hoc Sacramentum sit permanentes, & in facto consistens; verba autem citò transeant post sui prolationem; ipsaque substantia panis & vini, mox in instanti peractæ Consecrationis, convertatur realiter in Corpus & Sanguinem Christi: patet, quòd neutra earum possit esse triticæ

Materia & Forma Eucharistia, quæ communiter dicatur? Instantia contra hoc.

A a a a a

10.

loquendo materia & forma Sacramenti Eucharistiæ, utpote cum hoc Sacramentum in facto esse consistat, atque permaneat, illis non amplius existentibus.

Explicatur  
communis  
ille modus  
loquendi.

9. Cæterum propter communem loquendi modum tum SS. Patrum, tum Conciliorum, omnino in aliquo bono & recto sensu concedendum est, quod panis & vinum sint materia, verba autem Consecrationis sint forma hujus Sacramenti; idque variè potest intelligi. Primò causativè, quatenus ex pane & vino, tanquam ex materia debita, per legitimam formæ Consecrationis pronuntiationem conficitur hoc Sacramentum. Secundò, quatenus sunt materia & forma Eucharistiæ, ut in fieri consideratur, hoc est, ipsius Consecrationis Eucharistiæ: unde & panis, ac vinum, solet dici à Theologis *materia ex qua*, id est, talis materia, ex qua conficitur Eucharistia; quo modo etiam verba Consecrationis dicuntur forma Eucharistiæ, in quantum per ea, veluti per formam, conficitur hoc Sanctissimum Sacramentum. Et in hoc sensu sumendo materiam & formam Eucharistiæ, in præsentì ac subsequenti Quæstione dicitur de Materia, ex qua conficiendum est istud Sacramentum; de Forma verò tractabitur *Quæst. V.*

Materia  
Consecra-  
tionis E-  
ucharistiæ,  
quæ?

10. CONCL. I. Materia Consecrationis Eucharistiæ est panis triticeus, ac vinum de vite. Ita omnes Catholici: idque constat tum ex facto Christi, in prædictis materijs tempore ultimæ Coenæ conficientis hoc Sacramentum; tum ex varijs Concilijs, præsertim autem ex Florentino in Decreto Unionis, ubi ait: *Tertium est Eucharistia Sacramentum, cujus materia panis triticeus, & vinum de vite.* Accedit congruentia optima: quia hæc duo sunt aptissima ad integram refecionem animæ significandam; simulque solus panis triticeus, absolute dicitur panis, & communiter adhiberi solet ad reficiendas vires corporis.

Panis triti-  
ceus, &

11. Quæres autem, quid intelligatur per Panem triticeum, seu qualis panis esse debeat, vel sufficere possit pro materia Consecrationis? Resp. I. Generaliter loquendo, ac in praxi, illud frumenti genus adhibendum est pro materia Consecrationis Eucharistiæ, quod in quavis regione à peritis certò censetur esse Triticum: quale apud nos indubitatè est illud frumenti genus, quod vulgò vocatur Weizen.

Triticum,  
quid?

12. Resp. II. Absolute loquendo, & quantum sufficit ad valorem Consecrationis; per Triticum hic intelligere possumus omne illud frumentum, ex quo potest fieri panis-ufitatus; id est, talis,

talis, qui simpliciter, & sine addito vocatur panis, & communiter inter homines pro refectioe virium adhiberi solet. Unde nomine Tritici, etiam intelligitur Siligo nostra ( Korn/ oder Roggen ) & quidquid in frumentorum genere melius est hac nostra Siligine ad panem conficiendum, ut zea ( vulgò, ein Kern / vel Dinkelstorn ) & huiusmodi.

13. Cæterum licet à plerisque admittatur, Siligineam farinam ( Roggenmehl ) sufficere ad valorem Sacramenti, attamen peccaret, qui adhiberet eam præ Triticea, vel alia æquivalenti: decet enim, candidam esse materiam Eucharistia, qualis non est Siliginea, quamvis ex ea panis communiter inter homines usitatus confici solet.

Quid de Siligine?

14. Excluditur ergo à ratione materiae sufficientis ad Consecrationem Eucharistia, panis ex hordeo, & avena; prout notat Bonacina *disp. 2. de Eucharistia, quest. 2. punct. 1.* Lugo, Herincx, Sannig, & alij communiter, contra Gabrielem, & Cajetanum. Siquidem panis ex hordeo, vel avena, non dicitur absolute panis, sed solum cum addito, panis hordeaceus, avenaceus: neque talis panis communiter usitatus est inter homines ad restaurandas vires, licet à pauperibus, atque egestate laborantibus, nunquam adhibeatur ad pellendam mortem. Insuper insufficientis ad Consecrationem est panis ex leguminibus, amygdalis, saccaro, & alijs huiusmodi rebus confectus; cum pariter non sit panis triticeus, nec simpliciter appelletur panis, sed solum cum limitatione, panis amygdalinus, &c. Atque hinc Rubricæ Missalis, tit. *De defectu panis, n. 1.* rectè observant: *Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit aliqui corruptus; non conficitur Sacramentum.*

Panis ex hordeo, avena,

Amygdalis, vel saccaro &c. an sit materia Consecrationis?

15. CONCL. II. Ut panis triticeus sit materia apta Consecrationis, debet ipse confectus esse ex aqua naturali, atque igne decoctus: unde panis ex aqua rosacea confectus, item panis ex oleo, lacte, butyro coagulatus &c. aut materia cruda panis, quæ dicitur pasta ( vulgò, ein Teig ) non est materia sufficiens Consecrationis. Ita communior Theologorum, contra Cajeranum, qui affirmat, panem ex aqua rosacea confectum esse materiam sufficientem Consecrationis: & hinc Rubricæ Missalis *loc. cit. n. 2.* Panem confectum ex aqua rosacea, vel alterius distillationis, vocant materiam dubiam Consecrationis. Ratio Conclusionis est: quia panis communis, & usitatus inter homines, solet fieri

Panis triticeus, ut possit consecrari, quomodo conficiendus?



duntaxat ex farina triticea, & aqua naturali; simulque massa farinacea ex oleo, vel butyro coagulata, potius est placenta, quam panis.

An requiratur azimus, vel fermentatus?

16. CONCL. III. Quamvis ad valorem Eucharistiæ quilibet panis triticeus, sive azimus, sive fermentatus sufficiat; loquendo tamen de necessitate præcepti, tenentur Latini consecrare in pane azimo, & Græci in fermentato. Ita communis, estque definitum in Concilio Florentino.

Quid de Græcis inter Latinos peregrinantibus?

17. Facendum tamen, si Græci inter Latinos peregrinentur, posse & ipsos: sicubi propriam Ecclesiam proprijs institutis permittit Superiorum viventem non habent, in azimo celebrare, atque Ecclesiæ Latinæ, in qua peregrinantur, se conformare; quamvis ad hoc per se loquendo non teneantur, sed licetè nihilominus Ecclesiæ suæ ritum & consuetudinem retinere possint: & idem vicissim dicendum de Latinis inter Græcos peregrinantibus. Ratio hujus, inter Theologos satis receptæ sententiæ, est: quia quilibet peregrinus potest se licetè conformare particularibus Institutis cujusque Ecclesiæ, per quam transit, licet per se loquendo (id est, secluso contemptu, & scandalo) ad id non teneatur.

### QUÆSTIO III.

De Vino, seu materiâ Consecrationis Calicis.

vinum, ut sit materia Consecrationis, quale?

18. CONCL. I. Per *Vinum de vite*, quod est materia apta Consecrationis Calicis, intelligitur illud, quod de uvis maturis expressum est, qualiscunque tandem speciei vel coloris existat, dummodò sit verum vinum de uvis maturis expressum. Ita certa, & unanimis omnium Catholicorum.

Uva non potest consecrari,

19. Dicitur I. *Vinum de uvis expressum*. Quamdiu enim liquor vini adhuc intra uvam est inclusus, magis habet rationem comestibilis, quam potabilis: ac proinde uva, seu vinum intra uvam, non est materia apta Consecrationis, ut omnes fatentur.

Nec acetum, vinum adustum, aut lacrymæ Vitis.

20. Dicitur II. *De uvis maturis*. Nam, si uvæ sint penitus immaturæ, sicut liquor ex illis expressus non est verum vinum, sed potius acetum, ita nec potest esse materia sufficiens Consecrationis. Et ob eandem rationem etiam alij liquores, qui non habent rationem vini, consecrari nequeunt; ut sunt lacrymæ vitis, acetum, vinum adustum; non obstante, quòd tales liquores de

de vite proveniant : nam reverà non sunt vinum , sed alius quidam liquor.

21. Similiter vinum ex pomis, malogranatis, ac hujusmodi expressum, consecrari nequit : cum non sit Vinum de vite, id est, de uvis expressum ; licet vinum appellerur, eò quòd colorem vini referat, & ad modum vini conficiatur.

Neque vinum expressum, &c.

22. Aliter tamen dicendum est de vino miraculoso, quale fuit illud in Cana Galilææ, à Christo ex aqua productum ; nam eiusmodi vinum foret materia apta Consecrationis, cum in substantia sit ejusdem rationis & speciei cum Vino de vite expresso, quod sufficit.

Quid de vino miraculoso ?

23. Quòd si Vino de vite admisceatur quantitas alterius liquoris, ut puta aquæ, tunc attendendum est ad ipsius quantitatem, & pensandum, utrum adhuc juxta prudens judicium hominum censeatur esse vinum usuale : & si quidem de hoc fuerit dubium, eò quòd vino satis multa aqua fuerit infusa. similiter materia Consecrationis Calicis dubia erit : si certum, materia illa erit certa. In praxi tamen semper materia certa, & cui præter modicam aquam, ex præcepto Ecclesiastico apponendam, nulla materia extranea est admixta, adhibenda erit : idque tum ob reverentiam hujus SS. Sacramenti : tum quia alioquin quis peccaret, si hoc scienter & absque necessitate faceret, nisi fortè materia illa foret levissima.

Aut si vino admisceatur alius liquor ?

24. CONCL. II. Vinum in pane imbibitum non est materia apta Consecrationis Calicis. Ita Doctores communiter. Ratio est : quia tale vinum potius habet rationem cibi, quàm potus : unde sicut simili de causa nequit consecrari uva, ita nec vinum in pane imbibitum.

Vinum in pane imbibitum nequit consecrari.

25. CONCL. III. Nihilominus vinum congelatum validè consecrari potest, quamvis consecrando vinum congelatum quis peccaret. Prima pars Conclusionis est communior Theologorum, etsi Ledesma, Henriquez, Armilla, & quidam alij oppositum teneant. Ratio est : quia vinum congelatum adhuc substantialiter est vinum usuale ; simulque per se, ac ex natura sua, est materia potabilis : non obstante, quòd hic & nunc, seu quatenus congelatum est, non possit potari ; hoc enim est per accidens. Accedit, quòd moraliter loquendo, & juxta communem sensum hominum, vinum congelatum adhuc censeatur esse potus, non verò cibus ; prout tamen uva, vel vinum in pa-

Vinum congelatum validè consecratur.



ne imbibitum, potius censetur esse quid comestibile, quam potabile.

Sed non licitè.

26. Altera pars Conclusionis, quod nempe in vino congelato consecrans peccet (& quidem juxta quosdam graviter) ex eo patet: tum quia committeretur quædam irreverentia: tum quia sine necessitate consecraret quis in materia aliquatenus dubia, quam scilicet nonnulli Doctores superius allegati putant esse insufficientem, & invalidam.

Quid agendum, si vinum, vel Sanguis congeletur?

27. Unde si tempore hyberno ante Consecrationem accidat congelatio vini, tunc antea debet liquefieri, vel per applicationem linteoli calidi, vel aliâ ratione decenti. Et quantum ad propositum, Rubricæ Missalis, Tit. De defectibus in ministerio ipso occurrentibus, sic loquuntur: *Si in hyeme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.*

Varij defectus circa vinum.

28. CONCL. IV. Insuper si vinum sit factum acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aqua, ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum. Si autem vinum coeperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, vel alterius distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat. Ita loquuntur Rubricæ Missalis, Tit. 4. De defectu vini.

## QUÆSTIO IV.

De Aqua vino consecrando apponenda.

Aqua vino consecrando miscenda.

29. CONCL. I. Juxta exemplum Christi Domini, ac præceptum Ecclesiæ, vino consecrando est admiscenda modica aqua. Ita unanimis Doctorum; atque patet non solum ex Concilio Florentino in Decreto Unionis, ac Tridentino *Seff. 22. cap. 7.* sed etiam ex Rubricis Missalis *num. præc. relatis.*

Et cor?

30. Porrò hujusmodi appositio aquæ fit imprimis ad exemplum Christi, qui in ultima Cœna consecravit vinum, cui aqua fuit admixta; uti communiter docent SS. Patres, & Concilium tam Florentinum, quam Tridentinum *loc. cit.* Deinde dicta appositio aquæ fit propter mysterium, videlicet propter sanguinem & aquam, quæ ex JESU Christi jam mortui latere profuerunt.

xerunt. Tandem, cum per aquas in Sacra Scriptura *Apocal. cap. 17.* Populi intelligantur, fit dicta appositio aquæ in Calice consecrando, ad repræsentandam ipsius Populi fidelis unionem cum Capite suo Christo. Et has tres rationes, cur aqua sit vino consecrando miscenda, dat Concilium Florentinum, ac etiam Tridentinum, ubi supra.

31. CONCL. II. Hoc præceptum de aqua vino miscenda est tantum Ecclesiasticum, non autem Divinum. Ita communior Theologorum; & concordat Concilium Tridentinum *loc. cit.* sic dicens: *Monet præterea sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo misceant.* Ubi benè notandum ly, *præceptum esse ab Ecclesia.*

32. CONCL. III. Aqua vino apponenda, debet esse modica. Ita Scotus *in 4. dist. 11. q. 7.* quamvis nonnulli dicant, non esse scrupulosè procedendum in apponenda aqua. Ratio Conclusionis est: quia juxta communiorum Doctorum, aqua vino apposita non convertitur in Sanguinem Christi, nisi prius fuerit conversa in vinum; ergo, ut sic possit converti in vinum ante Consecrationem, erit modica aqua apponenda. Et hinc Rubricæ Missalis *Tit. 7. De Offertorio &c.* præcipiunt, ut Sacerdos infundat *parum aquæ in Calice*: & Florentinum Concilium *loc. cit.* dicit, quod vino ante Consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Ubi ly, *modicissima*, partim prohibet multum aquæ apponi, partim ostendit, omnem aquam, quantumvis modicam, etiam si foret una duntaxat gutta sensibilis, sufficere.

33. CONCL. IV. Aqua ipsa vino mixta convertitur quidem mediâtè in Sanguinem Christi, si videlicet ea prius ante inchoatam Consecrationem fuerit conversa in vinum per hujus virtutem; non tamen, juxta probabiliorem sententiam Doctorum, convertitur aqua immediâtè in Sanguinem Christi, si videlicet tempore Consecrationis adhuc retinet substantiam aquæ, & necdum fuit in vinum conversa. Ita expressè Doctor Subtilis *loc. cit.* D. Thomas *part. 3. quæst. 74. art. 8.* D. Bonaventura *4. dist. 11. part. 2. art. 1. q. 3.* & Alensis, cum omnibus Thomistis & Scotistis, ac pluribus Recentioribus, contra nonnullos alios. Ratio est: quia solum vinum de vite, est materia apta Consecrationis Calicis, ut docet Concilium Florentinum: atqui aqua nondum conversa in vinum, non est vinum de vite, imò nullatenus est vinum, ut patet; ergo. Accedit auctoritas Innocentii III. qui (ut habetur *c. Cum Martha. de Celebrat. Mis- sar.*)

Hoc præceptum est Ecclesiasticum.

Aqua vino apponenda, debet esse modica.

Hæc aqua convertitur in Sanguinem Christi mediâtè, non autem immediâtè.

far.) rejectis duabus alijs sententijs, tandem subjungit, tertiam sententiam esse probabiliorem, quæ docet, aquam cum vino transubstantiari in Sanguinem, cum in vinum transeat aqua mixta.

Opposita  
tamen sen-  
tentia non  
cædet pro-  
babilitate;

34. Additur notanter in Conclusionem, *juxta probabiliorem sententiam Doctorum*. Siquidem opposita etiam sententia non caret suâ probabilitate, ac docetur à Cardinale de Lugo, Coninch, Layman, alijsque pluribus, præsertim Recentioribus, qui volunt, aquam vino mixtam per accidens etiam immediate converti cum vino in Sanguinem Christi, licet antea necdum fuerit conversa in vinum. Ratio hujus oppositæ sententiæ desumitur ab exemplo, & facto Christi Domini, qui in ultima Cœna vinum aquâ mixtum consecravit; prout superius *num. 29. & 30.* ex communi SS. Patrum, & Concilio Florentino, ac Tridentino, dictum est. Accedit, quod totus ille liquor in Calice contentus, sit vinum usuale: atqui vinum usuale est materia apta Consecrationis; ergo.

Quomodo  
hæc solvat  
rationes in  
oppositum?

35. Nec obstat (inquiunt) quod vinum de vite duntaxat, juxta Concilium Florentinum, sit materia sufficiens Consecrationis Calicis. Respondent enim, hoc esse verum per se loquendo; adhuc tamen per accidens aquam vino mixtam esse consecrabilem, cum constituat vinum usuale, quali Christus usus est in Consecratione Calicis sub ultima Cœna.

Solutio  
principalis  
objectionū  
pro favore  
Conclusionis.

36. Nihilominus, qui priorem sententiam *num. 33.* relata, tanquam probabiliorem amplectitur, facile ad præfatum Recentiorum fundamentum responderet, dicendo, Christum consecrâsse aquam vino mixtam duntaxat mediate. Nam intra tempus illud, quo Christus Calicem vino & aquâ mixtum accepit, alia notabilis mora intercessit ante actualem factam Consecrationem; prout desumitur ex S. Evangelio, ubi Christus interea & Patri Cœlesti gratias egisse, & ipsum Calicem benedixisse legitur. Omnino siquidem credibile est, hujusmodi tum benedictionem, tum gratiarum actionem, longiori tempore, atque ad conversionem aquæ in vinum sufficiente, durasse: præsertim, quia tunc hoc SS. Sacramentum à Christo Domino institutum, primâque vice celebratum fuit.

QUÆ-

# QUÆSTIO V.

## De Forma Consecrationis Eucharistiae,

37. **A**Dvertendum, quod certum sit, Formam Consecrationis, quæ ponitur in Canone Missæ, esse legitimam, sufficientem, atque in praxi semper à Sacerdote Latino celebrante observandam, ne consecrando peccet. Num autem omnia verba dictæ Formæ sint necessaria necessitate Sacramenti, ita quod uno eorum omisso non conficiatur Sacramentum Eucharistiae, Quæstio remanet. Hinc sit

38. **CONCL. I.** Forma in Canone Missæ præscripta, atque in Ecclesia Latina semper observanda, est hæc, videlicet loquendo de Consecratione Corporis Christi: *Hoc est enim Corpus meum.* Et loquendo de Consecratione Calicis: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

39. **CONCL. II.** Si unum horum verborum Minister celebrans ex contemptu, vel (exceptâ particulâ, *Enim*) ex prava negligentia omittat, peccat mortaliter. Ita communis Doctorum: quia delinquit in materia gravi, atque concernente principale Mysterium Fidei. Additur tamen, *exceptâ particulâ, Enim.* Siquidem non desunt Doctores, qui volunt, veniale duntaxat esse peccatum, particulam *Enim* ex prava negligentia, aut alia simili de causa omittere, dummodo non omittatur ex contemptu: alioquin enim ratione contemptus, omisio ejus foret mortalis.

40. Circa huius tamen Formæ Consecrationis prolationem, atque ad præcavendum pluribus scrupulis, & conscientiarum anxietatibus, Rubricæ Missalis Tit. 5. De defectibus formæ, providè ordinant in hunc modum. *Si celebrans non recorderetur, se dixisse ea, quæ in Consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certe ei constet, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam Consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cetera prosequatur per ordinem: si vero valde probabiliter dubitat, se aliquid essentielle omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.* Hactenus Rubricæ Missalis. Ut autem intelligatur, quænam sint illa verba, quæ sunt de necessitate Sacramenti, sic

Bbbbbb

41. CONCL.

Forma suffi-  
ciens Con-  
secrationis  
Corporis  
Christi.

41. CONCL. III. Forma sufficiens, ac essentialiter requisi-  
ta ad Consecrationem Corporis Christi, est hæc: *Hoc est Corpus  
meum*, aut quæcunque alia æquivalens in sensu: *ly Enim* non est  
necessarium necessitate Sacramenti. Ita certa, & communis  
omnium Theologorum.

Quæ verba  
sunt de essen-  
tia Consec-  
rationis  
Calicis?

42. CONCL. IV. Non omnia suprâ dicta verba, quæ ha-  
bentur in Canone Missæ, sunt de substantia, seu essentia Formæ  
Consecrationis Calicis, sed hæc consistit essentialiter in solis illis  
verbis: *Hic est calix Sanguinis mei*, vel in æquivalentibus: quam-  
vis cætera sint necessariò addenda necessitate præcepti, adeò  
quòd alioquin graviter quis peccaret. Ita D. Bonaventura,  
Scotus, Suarez, & communior Theologorum; quamvis non  
desint cum D. Thoma *part. 3. q. 78. art. 3.* oppositum tenentes,  
asserendo, omnia verba in Canone Missæ posita (dempto *ly,  
Enim*) esse de substantia Consecrationis Calicis. Ratio Conclu-  
sionis est: quia neque sancti Evangelistæ omnium illorum ver-  
borum meminerunt, sed singuli aliqua omittunt: atqui non  
est verisimile, ipsos in hoc principali Mystério Fidei quidpiam  
essentialiter requisitum omisisse, atque Formam Consecrationis  
mutilam & insufficientem tradidisse. Imò ex hoc fundamento  
communiùs censent Theologi, hæc sola verba, *Hic est Sanguis meus*,  
sufficere pro Consecratione Calicis: non minùs, ac illa verba,  
*Hoc est Corpus meum*, sufficiunt pro Consecratione Corporis Chri-  
sti: quia Christus, ut habetur *Luca 22.* tam benè hic addidit  
*ly, Quod pro vobis datur*, sicut subjunxit in altera Consecratione, *Qui  
pro vobis fundetur*.

In praxi cir-  
ca hoc quid  
observan-  
dum?

43. Notat tamen Doctor noster *4. dist. 8. q. 2. §. De isto secundo*, Fil-  
liucius *tract. 4. de Eucharistia, cap. 5. n. 115.* & alij, in praxi Consecran-  
tem non debere habere intentionem conficiendi cum solis pri-  
mis verbis, quæ diximus esse de essentia Consecrationis, vel cum  
omnibus; cum utrumque aequaliter dubium sit, ac non omnino  
certum, ob varietatem sententiarum à Theologis in utramque  
partem defensorum. Unde oportebit intendere consecrare cum  
verbis à Christo Domino institutis, & secundùm ejusdem institu-  
tionem, sive intentionem Ecclesiæ: sic enim evitabitur omne pe-  
riculum errandi.

Verba essen-  
tialia Con-  
secrationis  
proferuntur  
tam recita-

44. CONCL. V. Verba essentialia utriusque Formæ Con-  
secrationis juxta hætenus dicta, dum in Missa proferuntur à Sa-  
cerdote celebrante, dicuntur tam recitativè, quàm significativè  
simul. *Recitativè* quidem, in quantum Celebrans intendit re-  
ferre

ferre, quid olim Christus dixerit, juxta illa verba praecedentia  
Canonis: *Qui pridie quam pateretur, fregit, & dixit.* Insuper signi-  
ficativè, in quantum Sacerdos celebrans in persona Christi loqui-  
tur, ac verè & significativè dicit: *Hoc est Corpus meum: Hic est ca-  
lix Sanguinis mei.* Alia autem verba immediatè praecedentia, &  
subsequentia utramque Formam Consecrationis, utputà ly,  
*Accipite, & comedite, &c.* ac ly, *Hac quotiescunque feceritis, &c.* nec  
non & illa verba Consecrationis Calicis, *Qui pro vobis effundetur,*  
&c. proferuntur à Sacerdote solùm recitativè, non autem signi-  
ficativè. Ita Scotus 4. dist. 8. q. 2. cum omnibus suis; & videtur  
in re esse communis Theologorum, atque patebit ex declaratio-  
ne terminorum.

45. Advertendum proinde, quòd ille dicatur aliqua verba  
proferre tantùm recitativè, seu (ut alij loquuntur) *materialiter*, qui  
verba solummodò refert ut ab altero prolata, nihil tamen ipsi-  
dem affirmare, vel negare intendit. Ut si dico, *Aristoteles dixit,*  
*Mundum fuisse ab aeterno:* hæc verba, *Mundum fuisse ab aeterno,* ego  
profero duntaxat recitativè; quia ipsidem non intendo affirmare,  
*Mundum fuisse ab aeterno* (nam oppositum de Fide teneo) sed solùm  
illa verba profero, seu recito ut ab Aristotele dicta. Sic & in propo-  
sito, dum in Forma Consecrationis Calicis dicitur à Celebrante,  
*Qui pro vobis effundetur,* verba hæc tantùm recitativè proferuntur,  
ut nempe quondam à Christo prolata, non autem significativè:  
quia Christus non ampliùs pro nobis morietur, neque imposte-  
rum effundet Sanguinem suum.

46. Ille verò significativè tantùm profert aliqua verba, qui so-  
lùm intendit ipsidem aliquid asserere, seu enuntiare: non autem  
profert ea, ut ab alio dicta. Sic fit, dum dico, *Mundus est creatus in  
tempore,* & hujusmodi.

47. Ille tandem profert aliqua verba recitativè & significativè  
simul, qui refert verba illa ut ab altero prolata, & simul per ea  
vult aliquid significare, seu asserere: quo loquendi modo sæpiùs  
Concionatores uti solent, exclamando, v. g. *Deus præcepit, dicens Non  
furtum facies,* intentione referendi verba Dei, simulque insinuandi,  
quòd furtum non sit faciendum.

48. Et hoc ultimo modo verba essentialia utriusque For-  
mæ Consecrationis proferuntur, videlicet recitativè & signifi-  
cativè simul: recitativè quidem, quatenus præmissis illis verbis,  
*Qui pridie quam pateretur, &c.* dixit, *Hoc est Corpus meum,* dicta ver-  
ba Consecrationis proferuntur ut olim à Christo prolata: simul

tivè, quia  
significati-  
vè.

verba pro-  
ferre reci-  
tativè tan-  
tùm.

Significati-  
vè tantùm.

Et recitativè  
ac significa-  
tivè simul.  
quid?

quo modo  
verba essen-  
tialia Con-  
secrationis  
proferun-  
tur.

tamen etiam significativè, eò quòd Sacerdos in persona Christi loquens, verè & assertivè dicat, *Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus.* Porro cætera verba solum proferuntur recitativè, ut nempe quondam à Christo prolata.

## QUÆSTIO VI.

### De reali Præsentia Christi in Eucharistia.

Christus verè ac realiter, & non tantum in figura, est præsens in Eucharistia.

49. **CONCL. I.** De Fide certum est, sub speciebus consecratis panis & vini contineri verè, acque realiter, & secundum propriam suam substantiam, Corpus & Sanguinem Christi; non autem tantum in figura, signo, aut virtute. Ita perpetuò tenuit, & credidit Sancta Mater Ecclesia; estque contra Hæreticos in pluribus Concilijs, ac novissimè in Tridentino Sess. 13. cap. 1. & can. 2. definitum. Patet insuper hæc Catholica Veritas ex verbis Christi, in ultima Cœna prolatis: nondum enim Apostoli susceperant Eucharistiam de manu Domini, cum ipse veraciter affirmaret, Corpus suum esse, quod præbebat, dicendo: *Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum.*

Et quomodo?

50. **CONCL. II.** Christus Dominus peractâ Consecratione est totus tam quoad humanitatem, quam quoad Divinitatem, sub speciebus panis, ac vini: tamen ex vi verborum sub speciebus panis continetur Corpus ejus, & sub speciebus vini Sanguis; cætera verò concomitanter solum, seu vi naturalis illius connexionis, qua partes Christi inter se copulantur, & qua per Unionem Hypostaticam Divinitas ejus humanitati est unita. Ita omnes Catholici; atque, ut aliz probationes omittantur, hæc Catholica Veritas est novissimè tradita in Concilio Tridentino, Sess. 13. cap. 3. sequentibus verbis admodum dignis, ut huc adducantur, atque in modo loquendi de hoc Sanctissimo Sacramento jugiter observentur.

Declaratur amplius per verba Concilij Trident.

51. *Semper hæc fides in Ecclesia DEI fuit, statim post Consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus Sanguinem sub panis & vini specie unacum ipsius anima & Divinitate existere: sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima Hypostaticam Unionem. Quapropter verisè*

quissimum est. eandem sub alterutra specie, atque sub utraque conti-  
neri. totus enim & integer Christus, sub panis specie, & sub quavis ipsius  
speciei parte; totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit. Ha-  
cenus Concilium Tridentinum.

§ 2. CONCL. III. Proferat ritè Formâ Consecrationis, panis <sup>In Consec-</sup>  
per veram transubstantiationem convertitur in Corpus Christi, <sup>ratione fit</sup>  
& vinum in Sanguinem: atque illicò desinente totâ substantiâ <sup>transubstanti-</sup>  
panis & vini, sub iisdem speciebus incipit esse realiter praesens <sup>tatio panis</sup>  
locus Christi. Hæc Conclusio simihter est omnium Catholi- <sup>& vini in</sup>  
corum, ac novissime definita in Concilio Tridentino, Sess. 13, <sup>Corpus &</sup>  
Sess. 2. ibi: Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistia Sacramento rema- <sup>Sanguinem</sup>  
nere substantiam panis & vini, unacum corpore & sanguine Domini nostri <sup>Christi.</sup>  
JESU Christi; negaveritque illam mirabilem, & singularem conversionem  
totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, ma-  
nentibus duntaxat speciebus panis & vini; quam quidem conversionem  
Catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat; anathema sit.  
Hæcenus Concilium. Et desumitur hæc Catholica Veritas ex  
ipsis verbis Christi, de eo, quod sub specie panis porrigebat  
Apostolis, veraciter dicentis: Hoc est Corpus meum.

§ 3. CONCL. IV. Nihilominus in dicta conversione, seu <sup>Nihilomi-</sup>  
transubstantiatione panis in Corpus Christi, & vini in Sangui- <sup>nus substā-</sup>  
nem ejus, propriè substantia panis & vini non annihilatur. Ita <sup>ria panis &</sup>  
Scotus 4. dist. 11. q. 4. D. Thomas part. 3. q. 75. art. 3. D. Bonaven- <sup>vini, propriè</sup>  
tura 4. dist. 11. p. 1. art. 1. q. 3. & alij. Ratio est: quia terminus ad <sup>non annihila-</sup>  
quem annihilationis est purum nihil: atqui hoc non fit in pro-  
posito; ergo. Minor probatur. Quia desitioni substantiæ pa-  
nis & vini, vi præfatæ totalis conversionis, seu admirabilis  
transubstantiationis, succedit realis præsentia Corporis &  
Sanguinis Christi; & consequenter propriè loquendo, sub-  
stantia panis & vini non annihilatur, sed potius verè ac totaliter  
convertitur, sive transubstantiatur in Corpus & Sanguinem  
Christi.

§ 4. Cæterum, quia quoad præsentem materiam nonnulla <sup>Cautela pro</sup>  
latet de nomine, quidnam videlicet intelligatur per annihila- <sup>modo lo-</sup>  
tionem: hinc abstrahendo à dicta difficultate, utpote minus <sup>quendis</sup>  
uti pro praxi, optimum erit, in communibus discursibus, ac præ-  
sertim Concionibus dicere, quod panis & vinum peractâ Con-  
secratione verè transubstantietur, seu quoad totam suam sub-  
stantiam convertatur in Corpus & Sanguinem Christi, rema-  
nentibus solum speciebus, seu accidentibus suis.

Bbbbbb 3

§ 5. CONCL.



Quamdiu  
Christus  
præfens sit  
sub specie-  
bus conse-  
cratis?

55. CONCL. V. Christus tamdiu sub Sacramento Evcharistiæ est realiter præfens, donec ipsæmet species consecratæ corrumpantur: in eo autem instanti Christus Dominus desinit esse præfens, quo species consecratæ ita sunt alteratæ & corruptæ, ut si sub ipsis adfuisset substantia panis, hæc naturaliter deberet desinere esse, & corrumpi. Ita communis Theologorum. Ratio est: quia Christus in hoc Sacramento decrevit supplere absentiam substantiæ panis, & vini; & consequenter neque citius, neque tardiùs vult desinere esse sub speciebus consecratis, ac ipsa substantia panis & vini naturaliter desineret, si adesset.

## Q U Æ S T I O VII.

De Necessitate sumendi Evcharistiam sub alterutra Specie; ubi & de ejus Effectibus.

Non est  
præceptum  
Divinum,  
sumendi  
Evcharistiã  
sub utra-  
que specie.

56. CONCL. I. Ex præcepto Divino non est necessarium, ut omnes Christi Fideles sumant Evcharistiam sub utraque specie. Ita novissimè definitum est in Concilio Tridentino *Sess. 21. can. 1. & 2.* & oppositum asserentes anathematis condemnantur. Ratio est: quia nullibi habetur tale præceptum. Nam, qui dixit Joan. 7. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* dixit quoque ibidem: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Item: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Item: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum;* prout rectissimè observat Concilium Trident. *loc. cit. cap. 1* & sequuntur Theologi, & Controversistæ unanimiter. Accedit, quòd jam in primitiva Ecclesia fuerit consuetudo communicandi quandoque sub una specie; prout amplius ostendunt Controversistæ contra Hæreticos modernos.

Solvitur in-  
stantia.

57. Nec valet dicere. *Matth. 26.* Christus porrigens Calicem, præcepit, dicens: *Bibite ex hoc omnes;* ergo usus Calicis omnibus sub præcepto Divino injunctus est. Resp. enim in primis, retorquendo argumentum, quia D. Marcus Evangelista, *cap. 14. v. 23.* expressè fatetur, ac testatur: *& biberunt ex eo omnes;* ergo illud Christi præceptum jam in ultima Coena fuit adimpletum, & consequenter neutiquam respiciebat omnes Christi Fideles impofterum nascituros. Resp. ulterius, illud Christi præ-  
ce-

ceptum solos Apostolos, quibuscum Christus coenavit, non autem omnes alios Fideles comprehendisse; uti patet ex allata instantia.

58. CONCL. II. Sancta Ecclesia Catholica iustissimis de causis (statuit, ut Laici, atque etiam Clerici non conficientes (id est, Missam actu non celebrantes) sub una tantum specie communicarent. Ita omnes Catholici; estque novissime definitum in Concilio Tridentino *cit. Sess. 21. can. 2*. Porro rationes, quibus Ecclesia ad prohibendum Laicis, & Clericis non conficientibus, seu non celebrantibus, usum Calicis adducta est, præcipue sunt sequentes, & reverà gravissimæ.

59. Primò siquidem dicta prohibitio facta est ob gravem irreverentiam, quæ Sacrosancto Sanguini Christi multoties inferebatur per effusionem ipsius in terram, aut barbas, sive vestes Communicantium. Deinde, quia Sacratissimus Sanguis consecratus, qui non semper juxta numerum atque exigentiam Communicantium ita consecrari potuit, ut sub actuali Communione totus sumeretur, & neque deficeret, neque superabundaret, non potuit, nec potest in Sacrarijs debitâ cum reverentiâ asservari, quin à potiori propter corruptionem specierum vini, utpote facillimè in acetum degenerantis, tempore præsertim calidiori, gravem pateretur irreverentiam. Accedit, quòd Sanctissimus Sanguis consecratus absque effusionis periculo, aut alijs incommodis, difficillimè potuerit ad infirmos deferri, aut pro iisdem asservari. Hujusmodi igitur malis, & irreverentijs, quotidie emergentibus in tanta populorum frequentia, atque hominum magnâ ex parte rudium multitudine, alter sancta Mater Ecclesia efficaciter providere non potuit, nisi per subtractionem Calicis quoad Laicos, vel Clericos non celebrantes.

60. CONCL. III. Quamvis Christus Dominus in ultima Coena hoc Sacramentum sub duabus speciebus instituerit, atque Apostolis tradiderit; tamen fatendum est, etiam sub altera specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi: ac proterea, quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ ad salutem necessariâ eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Itâ Concilium Trident. *cit. Sess. 21. cap. 3.* & omnes Catholici.

61. CONCL. IV. Eucharistia non statim, ac in ore ponitur, ex opere operato confert effectum gratiæ sanctificantis; sed primùm, quando species deglutuntur, ac ex ore trajiciuntur in

Ecclesia iustè decrevit, ut Laici sub una tantum specie communicarent.

Causæ hujus præcepti Ecclesiastici.

Sumens Eucharistiam sub una specie, nullâ fraudatur gratiâ ad salutem necessariâ.

Eucharistia, quando producat effectum gratiæ sanctificantis?

Stomachum. Ita communis. Ratio est: quia ad consequendum Eucharistiæ effectum ex opere operato requiritur, ut Corpus & Sanguis Christi, mediantibus speciebus Eucharisticis, verè comedatur, & bibatur; juxta illud Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Atqui juxta communem loquendi modum, nemo censetur quidquam comedisse, vel bibisse, qui panem vel vinum in ore duntaxat retinet, nihil autem ex eo deglutit: ut patet in abluciente os suum, qui non censetur fregisse jejunium naturale, sed potest adhuc communicare; ergo.

Præter hunc  
causæ Ev-  
charistiæ a-  
lios effe-  
ctus: nam

62. CONCL. V. Præter augmentum gratiæ sanctificantis, qui est primarius ac principalis hujus Sacramenti effectus, idem Sanctissimum Sacramentum causat quosdam alios effectus. Ita tenent omnes Theologi, & Libri Ascetici, fusiùs de talibus effectibus differentes, quorum principaliores hæc in compendio referuntur.

Delet ve-  
nialia,

63. Et primò quidem hoc Augustissimum Sacramentum, dignè susceptum, delet peccata venialia: idque non tantum mediatè ac indirectè, quatenus fervorem Charitatis excitat, & movet ad actus virtuosos, per quos venialium detestatio sequitur; sed etiam immediatè ex opere operato, quatenus producit augmentum gratiæ sanctificantis, virtute cujus delentur peccata venialia, præsertim ea, ad quæ dignè Sacramentum suscipiens non habet positivum affectum, & actualem complacentiam, sed virtualem quandam detestationem.

Præservat à  
mortalibus.

64. Secundò, præservat à peccatis mortalibus, quatenus illius Deus hominem exterius specialiter protegit, atque interius corroborat per singularia gratiæ actualis auxilia: itemque vel represso dæmone, vel amoris occasionibus peccandi, hominem ab ingruentibus tentationibus liberat, nec non ad eas superandas specialia quædam auxilia gratiæ subministrat.

Confert  
dulcedinem  
animæ.

65. Tertio, confert dulcedinem spirituales, & quandam devotè sumentibus suavitatem internam; ut proinde merito Ecclesia Catholica, in Officio de Corpore Christi, hæc applicet Prophetiam Jacob de Aser, Gen. cap. 49. *Pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus.* Tandem inter alia bona, quæ secum affert, hoc Sacramentum ritè susceptum diminuit fomitem, ac inordinatum affectum ad illicita.

Alia remissi-  
vè.

66. Plura quidem alia de hoc SS. Sacramento disputant Theologi, sed ea sunt altioris indaginis, atque ad Theologiam

Mo.

Moralem propriè non pertinent. Quæ verò dicenda forent de præcepto Communionis, præsertim Paschalis, jam superiùs (b) agendo De præceptis Ecclesie, ex professo discussa fuerunt.

(b) Tr. 1. c. 7.  
Dist. 3. Q. 3. § 1694.

# DISTINCTIO V.

## De Sacrificio Missæ.

### QUÆSTIO I.

#### De natura Sacrificij in genere.

1. **A**dvertendum, quòd Evcharistia possit dupliciter considerari. Primò, ut est Sacramentum novæ Legis; id est, Signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi, realiter contenti sub speciebus consecratis panis & vini. Secundò, ut est Sacrificium novæ Legis: quomodo ipsa non solum ex opere operato confert gratiam dignè fumentibus, sed etiam prodest alijs, pro quorum salute offertur. Viso proinde de Evcharistia, ut est Sacramentum, restat agere de ipsa, ut est Sacrificium, præmissâ tamen ad majorem claritatem unicâ Quæstione de natura Sacrificij ut sic: unde

Evcharistia ut Sacramentum, & ut Sacrificium.

2. Advertendum ulterius, quòd Sacrificium in communi dupliciter sumatur, propriè scilicet, & impropriè seu latissimè. Hoc posteriori modo Sacrificium etiam comprehendit sub se preces, & orationes devotas Fidelium: juxta illud Psalm. 49. *Immola Deo Sacrificium laudis. Et ad Hebr. cap. 13. Offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum laborum consentium nomini ejus,* & alibi. Sacrificium propriè dictum est peculiaris actus virtutis Religionis, quo speciali quodam modo protestamur summam & absolutam excellentiam DEI, nostramque subjectionem ad ipsum, per oblationem & destructionem alicujus rei sensibilis. Et loquendo de hujusmodi Sacrificio, sic

Sacrificium propriè, & impropriè.

3. **CONCL. I.** *Sacrificium propriè dictum, est oblatio externa rei permanentis Deo exhibita, qua significatur supremum dominium atque excellentia DEI & subiectio Sacrificantis ad ipsum, mediante aliquâ ipsius rei oblatæ destructione, seu immutatione.* Ita in re communis, & concordant dicta superiùs. (a)

Sacrificium propriè, quid? (a) Tr. 5. Dist. 1. § 15.

4. Dicitur, *oblatio externa rei permanentis, utputà ovis, bovis, vituli, tritici &c. ad distinguendum Sacrificium propriè dictum*

Est rei permanentis.

Ccccc

à Lau-